

NOTÆ IN

*Persequeris fures? qui te postrema timentes
In partem prædamq; vocent. tu mitis & osor
Sanguinis humani condonas crimina nummis.
Erroremq; vocas, preciumque imponis ab actis
Bubus & in partem scelerum de iudice transis.*

Hoc genus Iustitias errantes apud Anglos dici, ex Polycratico Johannis Salisberienfis discimus, lib. 5. cap. 15. & seq.

*Adalbertus Pragensis
ad Ottonem 3.*

Porro hisce omnibus addere libet gravissimam exhortationem S. Adalberti Pragens. Episcopi ad Ottonem III. Imp. cui cum familiarissimus ille esset, adeo ut imperialis Cameræ inhæreret (ut auctor vitæ eius scribit) nocte pariter ac die, cum turba locum daret, sanctis alloquiis eum adgrediebatur, docens; Ne magnum putaret, se Imperatorem esse: cogitaret se hominem moriturum, cinerem, ex pulcherrimo putredinem & vermium escam esse futurum. Viduis exhibere se maritum; pauperibus & pupillis monstrare se patrem: timere Deum, ut iustum ac districtum iudicem: amare, ut piæ veniæ largitorem, ac misericordiæ fontem: sollicitè pensare quàm angustâ via quæ ducit ad vitam, & ad quàm per pauci qui intrant per eam: bene agentibus esset ut per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus. Hæc ille.

Pag. 137. præter paucas Occidentis.) Imo cum olim omnes ferè orbis exculi provincias, præter Germaniam, Romanum Imperium habuerit; tanta facta est rerû vicissitudo, ut hodie nihil præter hanc, neque eam totam, habeat.

*De antiqua amplis
indem Romæ
Imperii, & sancti
inventionis*

Pag. 138. Aquilam deplumarunt.) Turcus, Rex Gallus, Hispanus, Polonus, Danus, Principes Italiæ, Veneti, Lotharingus, Helvetii, Belgæ, quis non? Et vide quæso fatum & imminutionem Imperii Romani, cuius amplitudo maxima cum fuisset imperante Ulpio Trajano, aut Diocletiano & Constantino cum suis Collegis; ab ultima Hispania & Africa in confinia usque Parthiæ, longitudo graduum, xc. (cujusmodi ccc. absolvunt circulum totius orbis) latitudo ab æquinoctiali versus Septentrionem minimum graduum XLV. extitit. Gradui autem Geographi assignant militaria sexaginta, vel Germania mediocria quindecim. Nunc si eam rationem vocemus, quæ in utraque Germania cis & trans Rhenum, ad confinia usque Galliæ & Sarmatiæ, & Oceanum, tum in Rhetia, Norico, Illyrico